

Dirupisti vincula mea, sacrificem tibi sacrificium laudis. Quomodo dirupisti ea, enarrabo, et dicent omnes, qui adorant te, cum audiunt haec: Benedictus Dominus in coelo, et in terra; magnum et mirabile nomen ejus. Inhaeserant praecordiis meis verba tua, et undique circumvallabar abs te. De vita tua aeterna certus eram, quamvis eam in aenigmate, et quasi per speculum videram. Dubitatio tamen omnis de incorruptibili substantia, quod ab illa esset omnis substantia, ablata mihi erat: nec certior de te, sed stabilior in te esse cupiebam. De mea vero temporali vita nutabant omnia, et mundandum erat cor a fermento veteri, et placebat via ipse salvator, et ire per ejus angustias adhuc pigebat. Et immisisti in mentem meam, visumque est bonum in conspectu meo, pergere ad Simplicianum, qui mihi bonus apparebat servus tuus, et lucebat in eo gratia tua. Audieram etiam, quod a juventute sua devotissime tibi viveret. Jam vero tum senuerat, et longa aetate in tam bono studio sectandae viae tuae multa expertus, multa edoctus mihi videbatur; et vere sic erat. Unde mihi ut proferret volebam conferenti secum aestus meos, quis esset aptus modus sic affecto, ut ego eram, ad ambulandum in via tua. Videbam enim plenam ecclesiam, et alius sic ibat, alius autem sic. Mihi autem displicebat, quod agebam in seculo: et oneri mihi erat valde, non jam inflammantibus cupiditatibus, ut solebant, spe honoris et pecuniae, ad tolerandam illam servitutum tam gravem. Jam enim me illa non delectabant prae dulcedine tua, et decore domus tuae, quam dilexi. Sed adhuc tenaciter colligebat ex foemina, nec me prohibebat Apostolus conjugari, quamvis exhortaretur ad melius, maxime volens omnes homines sic esse, ut ipse erat. Sed ego infirmior, eligebam molliorem locum: et propter hoc unum volvebar in caeteris languidus, et tabescens curis marcidis: quod et in aliis rebus, quas nolebam pati, congruere cogebar vitae conjugali, cui deditus obstringebar.